

cum sorore sua, filia patris sui, vel matris suæ, et dicet omnis populus, Amen. Maledictus qui dormit cum socru sua: et dicet omnis populus, Amen. Maledictus qui clam percusserit proximum suum: et dicet omnis populus, Amen. maledictus qui accipit munera, ut percutiat animam sanguinis innocentis: et dicet omnis populus, Amen¹.

Huc usque de libris Moysi quæ visa sunt ponenda, posuimus. In his vero quæ sequuntur et appellantur, Jesu nave, Judicium, Regnorum, Paralipomenon, rerum gestarum potius historia legitur quam præcepta vivendi. Hæc tamen paucissima de libro Jesu Nave prætereunda in hoc opere non putavi.

DE JESU NAVE.

REVERTIMINI, et ite in tabernacula vestra, et in terram possessionis, quam tradidit vobis Moyses famulus Domini trans Jordanem: ita duntaxat ut custodiatis attente, et opere compleatis mandatum et legem, quam præcepit vobis Moyses servus Domini; ut diligatis Dominum Deum vestrum, et ambuletis in omnibus viis ejus, et observetis mandata illius, adhæreatisque ei, ac serviatis ei, in omni corde et anima vestra². *Et in alio loco,*

Ne postquam intraveritis, *inquit*, ad gentes, quæ inter vos futuræ sunt, juretis in nomine deorum earum, et serviatis eis, et adoretis illos, sed adhæreatis Domino Deo vestro, quod fecistis usque in diem hanc³.

De libro autem Psalmorum multa ponenda sunt, quamvis eadem sæpe repetantur: sed habebō modum quantum potero, ne hoc opus quod memoria maxime tenendum est, in nimiam longitudinem pergat.

¹ Deut. xxvii, 15-25. — ² Josuë, xxii, 4, 5. — ³ Id. xxiii, 7, 8.

DE PSALMIS.

In Psalmo i. Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum, et in via peccatorum non stetit, et in cathedra derisorum non sedit. Sed in lege Domini voluntas ejus et in lege ejus meditabitur die ac nocte¹.

In Psalmo ii. Nunc ergo reges intelligite, erudimini iudices terræ. Servite Domino in timore, et exultate ei cum tremore. Adorate pure (1), ne forte irascatur, et pereatis de via. Cum exarserit post paululum furor ejus, beati omnes qui sperant in eum².

In Psalmo iv. Filii viri usquequo inclyti mei ignominiose diligitis vanitatem, quærentes mendacium? *Et paulo post:* Irascimini, et nolite peccare: loquimini in cordibus vestris super cubilia vestra, et tacete. Sacrificate sacrificium justitiæ et confidite in Domino³.

In Psalmo v. Quoniam non es Deus volens iniquitatem. Nec habitabit juxta te malignus; non stabunt iniqui in conspectu oculorum tuorum. Odisti omnes operantes iniquitatem, perdes loquentes mendacium. Virum sanguinum et dolosum abominabitur Dominus⁴.

In Psalmo xiv. Domine, quis peregrinabitur in tentorio tuo, et quis habitabit in monte sancto tuo? Qui ingreditur sine macula, et operatur justitiam, loquiturque veritatem in corde suo, qui non est facilis in lingua sua, neque fecit amico suo malum, et opprobrium non sustinuit super vicino suo. Despicitur oculis ejus improbus, timentes autem Dominum glorificat. Jurat ut se affligat, et non mutat. Pecuniam suam non dedit ad usu-

¹ Psal. i, 1, 2. — ² Id. ii, 10-13. — ³ Id. iv, 3-6. — ⁴ Id. v, 6-8.

ram, et munera adversus innoxium non accepit. Qui facit hæc, non movebitur in æternum¹.

In Psalmo xxiii. Quis ascendet in montem Domini, aut quis stabit in loco sancto ejus? Innocens manibus et mundo corde qui non exaltavit frustra animam suam et non juravit dolose. Accipiet benedictionem a Domino, et justitiam a Deo salutari suo².

In Psalmo xxvi. Lux mea Dominus et salutare meum, quem timebo? Dominus fortitudo vitæ meæ, quem formidabo? *Et post quatuor versus:* Si steterint adversum me castra, non timebit cor meum. Si surrexerit contra me bellum, in hoc ego confidam. Unum petii a Domino, et hoc requiram: ut habitem in domo Domini, omnibus diebus vitæ meæ: ut videam pulchritudinem Domini, et attendam templum ejus. *Et alio loco:* Tibi dixit cor meum: Quæsivi vultum ejus, faciem tuam, Domine, requiram. *Et postea:* Expecta Dominum, confortare, et roboretur cor tuum, et sustine Dominum³.

In Psalmo xxvii. Ne tradas me cum impiis, et cum operantibus iniquitatem: qui loquuntur pacem cum amicis suis, et est malum in corde eorum⁴.

In Psalmo xxx. Confortamini, et roboretur cor vestrum omnes qui expectatis Dominum⁵.

In Psalmo xxxi. Nolite fieri sicut equus et mulus, quibus non est intelligentia. In chamo et freno maxillas eorum constringe, qui non approximant ad te. Multi dolores impij, confidentem autem in Domino misericordia circumdabit. Lætamini in Domino, et exultate justi, et gaudete omnes recti corde⁶.

In Psalmo xxxii. Laudate justi Dominum, rectos decet laudatio. *Et alio loco:* Beata gens cujus Dominus

¹ Psal. xiv, 1-5. — ² Id. xxiii, 3-5. — ³ Id. xxvi, 1-14. — ⁴ Id. xxvii, 3. — ⁵ Id. xxx, 25. — ⁶ Id. xxxi, 9-11.

Deus ejus, populus quem elegit Dominus in hæreditatem sibi¹.

In Psalmo xxxiii. Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus ejus in ore meo. In Domino laudabitur anima mea: audiant mites et lætentur. Magnificate Dominum mecum, et exaltemus nomen ejus pariter. *Et post paucos versus:* Gustate et videte, quia bonus Dominus, beatus vir qui sperat in eo. Timete Dominum sancti ejus; quoniam non est inopia timentibus eum. Leones indigerunt, et esurierunt: quærentibus autem Dominum, non deerit omne bonum. Venite, filii, audite me; timorem Domini docebo vos. Quis est vir qui velit vitam, diligens videre dies bonos? Custodi linguam tuam a malo et labia tua ne loquantur dolum. Recede a malo, et fac bonum; quære pacem, et persequere eam. *Et post septem versus:* Juxta est Dominus contritis corde, et confractos spiritu salvabit².

In Psalmo xxxvi. Noli contendere cum malignis, neque æmuleris facientes iniquitatem. Quoniam sicut herba velociter conterentur; et sicut olus viride arescent. Spera in Domino, et fac bonum; peregrinare in terra, et pascere fide. Et delectare in Domino, et dabit tibi petitiones cordis tui. Volve super Dominum viam tuam, et confide in eo, et ipse faciet. Et educet sicut lumen justitiam tuam, et judicium tuum sicut meridiem. Tace Domino, et expecta eum, noli contendere adversus eum, qui proficit in via sua; adversus virum, qui facit quæ cogitat. Dimitte iram, et relinque furorem: noli contendere, ut male facias. Quoniam qui male faciunt, interibunt: expectantes autem Dominum, ipsi hæreditabunt terram. Adhuc enim modicum, et non erit impius; et cogitabis de loco ejus, et non subsistet. Mites autem hæreditabunt terram, et

¹ Psal. xxxii, 1 et 12. — ² Id. xxxiii, 2-15 et 19.

delectabuntur in multitudine pacis. *Et paulo post* : Melius est parum justo, super divitias impiorum multas. Quia brachia impiorum confringentur ; sublevat autem justos Dominus. *Et post aliquantum* : Recede a malo, et fac bonum. *Et alibi* : Expecta Dominum, et custodi viam ejus; et exaltabit te ut possideas terram. Custodi simplicitatem, et vide rectum : quia erit ad extremum viro pax¹.

In Psalmo xxxix. Beatus qui posuit Dominum confidentiam suam, et non est aversus ad superbias pompasque mendacii².

In Psalmo xliii. In Domino gaudebimus tota die, et in nomine tuo in æternum confitebimur. *Et paulo post* : Omnia hæc venerunt super nos ; et non sumus oblitii tui, nec mentiti fuimus in pacto tuo. Non est conversum retro cor nostrum, nec declinaverunt gressus nostri a semita tua. Quoniam dejecisti nos in loco draconum, et operuisti nos umbra mortis. Si oblitii sumus nominis Dei nostri et expandimus manus nostras ad Deum alienum : numquid non Deus investigabit istud ? ipse enim novit cogitationes cordis, quoniam propter te mortificati sumus tota die, reputati sumus ut grex occisionis³.

In Psalmo xlvii. Canite Deo, canite : canite regi nostro : canite. Quia rex universæ terræ Deus, canite. Erudite⁴.

In Psalmo xlix. Immola Deo laudem, et redde Altissimo vota tua. Et invoca me in die tribulationis : liberabo te, et glorificabis me. Impio autem dixit Deus, quid tibi est cum narratione præceptorum meorum, ut assumes pactum meum in ore tuo ? Qui odisti disciplinam, et projecisti verba mea post te. Si videbas furem, consentiebas ei : et cum adulteris erat pars tua. Os tuum dimisisti ad

¹ Psal. xxxvi, 1-11, 16, 17, 27 et 34-37. — ² Id. xxviii, 5. — ³ Id. xliii, 9, et 18-29. — ⁴ Id. xlvii, 7, 8.

malitiam ; et lingua tua concinnavit dolum. Sedens adversum fratrem tuum loquebaris ; adversum filium matris tuæ fabricabaris opprobrium. Hæc fecisti, et tacui : existimasti futurum me similem tui : arguam te, et proponam ante oculos tuos. Intelligite hoc, qui obliviscimini Deum ; ne forte capiam, et non sit qui liberet. Qui immolat confessionem, glorificat me : et qui ordinate ambulat, ostendam ei salutare Dei¹.

In Psalmo l. Ab iniquitate mea, et a peccato meo munda me. Quoniam iniquitatem meam ego cognovi, et peccatum meum contra me est semper. *Et alibi* : Sacrificium Deo spiritus contribulatus : cor contritum et humiliatum Deus non despicias².

In Psalmo li. Quid gloriaris in malitia potens ? Misericordia Domini tota est die. Insidias cogitat lingua tua, quasi novacula acuta faciens dolum. Dilexisti malum magis quam bonum, mendacium magis quam loqui justitiam. Dilexisti omnia verba ad devorandum, lingua dolosa. Sed Deus destruet te in sempiternum ; terrebit te, et evellet te de tabernaculo, et eradicabit te de terra viventium. Videbunt justi, et timebunt, et super eum ridebunt. Ecce vir qui non posuit Deum fortitudinem suam, sed speravit in multitudine divitiarum suarum, confortatus est in insidiis suis. Ego autem sicut oliva virens in domo Dei, speravi in misericordia Dei, in sæculum sempiternum. Confitebor tibi in sæculum, quoniam fecisti ; et expectabo nomen tuum, quoniam bonum in conspectu sanctorum tuorum³.

In Psalmo lxi. Sperate in eo omni tempore, populi ; effundite coram illo cor vestrum : : Deus spes nostra est. Verumtamen vanitas filii Adam, mendacium filii viri : in stateris dolosis fraudulenter agunt simul. Nolite confidere

¹ Psal. xlix, 14-23. — ² Id. l, 4, 5 et 19. — ³ Id. li, 3-11.

in calumnia, et in rapina ne frustremini. Divitiæ si afflu-
xerint, ne apponatis cor¹.

In Psalmo LXIII. Lætabitur justus in Domino, et spe-
rabit in eo².

In Psalmo LXVIII. Quia propter te portavi opprobrium,
operuit confusio faciem meam. Alienus factus sum fratri-
bus meis, et peregrinus filiis matris meæ. Quia zelus do-
mus tuæ comedit me, et opprobrium exprobrantium tibi
cecidit super me. Et fleui in jejunio animam meam; et
factum est in opprobrium mihi. Et posui vestimentum
meum saccum; et factus sum illis in parabolam. Contra
me loquebantur qui sedebant in porta, et cantabant bi-
bentes vinum³. *Et aliquanto post:* Laudabo nomen Dei
in cantico, et magnificabo eum in confessione. Et placebit
Deo super vitulum novellum, cornua efferentem et un-
gulas. Videntes mansueti lætabuntur. Qui quæritis Do-
minum, vivet anima vestra. Quoniam exaudivit pauperes
Dominus⁴.

In Psalmo LXXII. Quia ecce qui elongant se a te, pe-
ribunt: perdidisti omnem fornicantem a te. Mihi autem
appropinquare Deo bonum est: posui in Domino Deo spem
meam, ut narrem omnes annuntiationes tuas⁵.

In Psalmo LXXV. Vovete, et reddite Domino Deo ves-
tro, omnes qui in circuitu ejus sunt, offerent dona terri-
bili, auferenti spiritum ducum, terribili regibus terræ⁶.

In Psalmo LXXVII. Ausculta, populus meus, legem
meam: inclinate aurem vestram ad verba oris mei. Aperiam
in parabola os meum, loquar ænigmata antiqua. *Et alio
loco:* Et narrabunt filiis suis, ut ponant in Deo spem suam,
et non obliviscantur cogitationem ejus, et mandata ejus
custodiant⁷.

¹ Psal. LI, 9-11. — ² Id. LXIII, 11. — ³ Id. LXVIII, 8-13. — ⁴ Ibid. 31-
34. — ⁵ Id. LXXII, 27, 28. — ⁶ Id. LXXV, 12, 13. — ⁷ Id. LXXVII, 1, 2 et 6, 7.

In Psalmo LXXX. Laudate Deum fortitudinem nos-
tram, jubilate Deo Jacob. *Et alio loco,* Israël si audie-
ris me, non sit in te deus alienus, et non adores deum
peregrinum. Ego sum Dominus Deus tuus¹.

In Psalmo LXXXI. Usquequo judicatis iniquitatem, et
facies impiorum suscipitis? Judicate pauperi et pupillo,
egeno et inopi juste facite².

In Psalmo LXXXIII. Beati qui habitant in domo tua,
adhuc laudabunt te. Beatus homo cujus fortitudo est in
te, semitæ in corde ejus: transeuntes in valle fletus fon-
tem ponent eam. Benedictionem quoque amicietur doctor:
ibunt de fortitudine in fortitudinem: parebunt apud Deum
in Sion. *Et paulo post:* Quoniam melior est dies in atriis
tuis super millia. Elegi abjectus esse in domo Dei mei,
magis quam habitare in tabernaculis impietatis³.

In Psalmo XCI. Bonum est confiteri Domino, et psal-
lere nomini tuo, Altissime⁴.

In Psalmo XCIII. Intelligite stulti in populo; et insi-
pientes aliquando discite. *Et paulo post:* Beatus vir
quem erudieris, Domine, et de lege tua docueris eum. Ut
quiescat a diebus afflictionis, donec fodiatur impio in-
teritus⁵.

In Psalmo XCV. Venite adoremus, et curvemur, flec-
tamus genua ante faciem Domini factoris nostri. *Et post
duos versus:* Hodie si vocem ejus audieritis, nolite ob-
durare corda vestra: sicut in contradictione, sicut in die
tentationis in deserto⁶.

In Psalmo XCV. Cantate Domino canticum novum,
cantate Domino omnis terra. Cantate Domino, benedicite
nomini ejus: annuntiate de die in diem salutare ejus. Nar-
rate in gentibus gloriam ejus, in universis populis mira-

¹ Psal. LXXX, 2 et 9-11. — ² Id. LXXXI, 2, 3. — ³ Id. LXXXIII, 5-8 et 11.
— ⁴ Id. XCI, 2. — ⁵ Id. XCIII, 8 et 12, 13. — ⁶ Id. XCV, 6 et 8, 9.

bilia ejus. *Et post sex versus* : Afferte Domino, familiæ populorum, afferte Domino gloriam et fortitudinem. Afferte Domino gloriam nomini ejus : levate munera, et introite in atria ejus. Adorate Dominum in decore sanctuarii¹.

In Psalmo xcvi. Qui diligitis Dominum, odite malum. *Et post tres versus* : Lætamini justi in Domino, et confitemini memoriæ sanctæ ejus².

In Psalmo xcvi. Jubilate Domino, omnis terra : vociferamini, et laudate, et canite³.

In Psalmo xcvi. Exaltate Dominum Deum nostrum, et adorate scabellum pedum ejus, quia sanctus est⁴.

In Psalmo xcix. Jubilate Domino, omnis terra, servite Domino in lætitia. Ingredimini coram illo in laude. Scitote quoniam Dominus ipse est Deus, ipse fecit nos, et ipsius sumus⁵. *Et post unum versum* : Ingredimini portas ejus in gratiarum actione, atria ejus in laude, confitemini ei.

In Psalmo c. Deambulabo in simplicitate cordis mei in medio domus meæ : Non ponam coram oculis meis verbum Belial. Facientem declinationes odivi, nec adhæsit mihi. Cor pravum recedet a me : malum nesciam. Loquentem in abscondito contra proximum suum, hunc interficiam. Superbum oculis et altum corde, cum hoc esse non potero. Oculi mei ad fideles terræ, ut habitent mecum : ambulans in via simpliciter, hic ministrabit mihi. Non habitabit in medio domus meæ faciens malum : loquens mendacium non placebit in conspectu oculorum meorum. Mane perdam omnes impios terræ, ut interficiam de civitate Domini universos qui operantur iniquitatem⁶.

¹ Psal. xcvi, 1-9. — ² Id. xcvi, 10 et 12. — ³ Id. xcvi, 4. — ⁴ Id. xcvi, 5. — ⁵ Id. xcix, 2-4. — ⁶ Id. c, 2-8.

In Psalmo cii. Misericordia autem Domini, ab æterno et usque in æternum super timentes eum. Et justitia ejus super filios filiorum, iis qui custodiunt pactum ejus, et recordantur præceptorum ejus ad facienda ea¹.

In Psalmo civ. Confitemini Domino, et invocate nomen ejus; notas facite populis cogitationes ejus. Canite ei, et psallite illi : loquimini in universis mirabilibus ejus. Exultate in nomine sancto ejus : lætetur cor quærentium Dominum. Quærite Dominum et virtutem ejus, quærite faciem ejus jugiter. Recordamini mirabilium ejus, quæ fecit, signorum et judiciorum oris ejus².

In Psalmo cvii. Paratum cor meum, Deus; cantabo et psallam : sed et gloria mea. Consurge psalterium et cithara : consurgam mane. Confitebor tibi in populis, Domine, cantabo te in nationibus³.

In Psalmo cx. Confitebor Domino in toto corde meo, in consilio justorum et congregatione. *Et in alio loco* : Principium sapientiæ timor Domini : doctrina bona cunctis qui faciunt eam : laus ejus perseverans jugiter⁴.

In Psalmo cx. Beatus vir qui timet Dominum, in mandatis ejus volet nimis. *Et post quinque versus* : Bonus vir clemens et scelerans, dispensabit verba sua in judicio; quia in æternum non commovebitur. In memoria sempiterna erit justus, ab auditu malo non timebit. Paratum cor ejus confidens in Domino : firmum cor ejus, non timebit donec aspiciat in hostibus suis. Dispersit, dedit pauperibus : justitia ejus permanet in æternum; cornu ejus exaltabitur in gloria. Impius videbit et irascetur, dentibus frendet, et tabescet : desiderium impiorum peribit⁵.

In Psalmo cxii. Laudate servi Dominum, laudate nomen Domini. Sit nomen Domini benedictum, a modo et

¹ Psal. cii, 17, 18. — ² Id. civ, 1-5. — ³ Id. cvii, 2-4. — ⁴ Id. cx, 1 et 10. — ⁵ Id. cx, 1 et 5-10.

usque in æternum. Ab ortu solis usque ad occasum ejus, laudabile nomen Domini¹.

In Psalmo cxiii. Idola gentium argentum et aurum, opus manuum hominum. Os habent, et non loquentur : oculos habent, et non videbunt. Aures habent, et non audient, etc. *Et paulo post* : Similes illis fiant qui faciunt ea, et omnes qui confidunt in eis. Israël confidit in Domino, auxiliator et protector eorum est. Domus Aaron confidit in Domino, auxiliator et protector eorum est. Timentes autem Dominum confidunt in Domino, auxiliator et protector eorum est².

In Psalmo cxv. Credidi, propter quod locutus sum, ego afflictus sum nimis. *Et post aliquantum* : Quid reddam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? Calicem salutaris accipiam, et nomen Domini invocabo. Gloriosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus. *Et post tres versus* : Tibi immolabo hostiam laudis, et in nomine Domini, invocabo. Vota mea Domino reddam in conspectu omnis populi ejus; in atriis domus Domini, in medio tui Jerusalem³.

In Psalmo cxvi. Laudate Dominum omnes gentes, conlaudate eum universi populi⁴.

In Psalmo cxvii. Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in æternum misericordia ejus. Dicat nunc Israël, quoniam in æternum misericordia ejus. Dicat domus Aaron, quoniam in æternum misericordia ejus. Dicant qui timent Dominum, quoniam in æternum misericordia ejus. Cum tribularer invocavi Dominum, et exaudivit me in latitudine Dominus⁵. *Et post quinque versus* : Melius est sperare in Domino, quam sperare in homine. Melius est sperare in Domino, quam sperare in principi-

¹ Psal. cxii, 1-3. — ² Id. cxiii, 12-19. — ³ Id. cxv, 1-9. — ⁴ Id. cxvi, 1. — ⁵ Id. cxvii, 3-5

bus¹. *Et post octo versus* : Fortitudo mea et laus mea Dominus, et factus est mihi in salutem. Vox laudis et salutis in tabernaculis justorum².

In Psalmo cxviii. Beati immaculati in via qui ambulat in lege Domini. Beati qui custodiunt testimonia ejus, in toto corde requirunt eum³. *Et alio loco* : Et ambulabo in spatioso, quia præcepta tua quæsivi. Et loquar in testimoniis tuis coram regibus, et non confundar. Et delectabor in mandatis tuis, quæ dilexi. Et levabo manus meas ad mandata tua quæ dilexi; et loquar in præceptis tuis⁴. *Et post quatuor versus* : A lege tua non declinavi. Recordatus sum judiciorum tuorum a sæculo, Domine, et consolatus sum. Horror obtinuit me ab impiis, quia dereliquerunt legem tuam. Carmina erant mihi præcepta tua, in domo peregrinationis meæ. Recordatus sum in nocte nominis tui, Domine, et custodivi legem tuam. Hoc factum est mihi, quia præcepta tua custodivi. Pars mea, Domine, dixi, ut custodiam verbum tuum. Deprecatus sum vultum tuum in toto corde; misere mei secundum eloquium tuum. Recogitavi vias meas, et converti pedes meos ad testimonia tua. Festinavi, et non neglexi custodire mandata tua. Funes impiorum implicaverunt me : legem tuam non sum oblitus. Medio noctis surgebam ad confitendum tibi, super judicia justificationis tuæ. Particeps ego sum omnium timentium te, et custodientium præcepta tua⁵. *Et post paucos versus* : Ego autem in toto corde servabam præcepta tua. Incrasatum est velut adeps cor eorum, et ego in lege tua meditabar. Bonum mihi quia afflictus sum, ut discerem præcepta tua. Melior mihi est lex oris tui, super millia auri et argenti⁶. *Et post paucos versus.* Quia lex tua

¹ Psal. cxvii, 8, 9. — ² Ibid. 14, 15. — ³ Id. cxviii, 1, 2. — ⁴ Ibid. 45-48. — ⁵ Ibid. 51-63. — ⁶ Ibid. 69-72.

meditatio mea est. *Et post paululum* : Ego autem loquar in præceptis tuis. *Et post paululum* : Præcepta tua non sum oblitus. *Et post duos versus* : Foderunt mihi superbi foveas, quæ non erant juxta legem tuam. *Et post duos versus* : Paulominus consumpserunt me in terra : ego autem non dimisi præcepta tua¹. *Et post septem versus* : Nisi quod lex tua delectatio mea, forte perissem in pressura mea. In sempiternum non obliviscar præceptorum tuorum ; quia per ipsa vivificasti me. Tuus ego sum, salva me ; quoniam præcepta tua quæsivi. Me expectaverunt impii, ut perderent me ; testimonium tuum considerabo. Omnis consummationis vidi finem ; latum mandatum tuum nimis. Quam dilexi legem tuam, tota die hæc meditatio mea². *Et paulo post* : Ab omni semita mala prohibui pedes meos, ut custodirem verba tua. A judiciis tuis non recessi, quia tu illuminasti me. Quam dulce gutturi meo eloquium tuum, super mel ori meo. Præcepta tua considerabam ; propterea odivi omnem semitam mendacii. Lucerna pedi meo verbum tuum, et lux semitæ meæ³. *Et post septem versus* : Anima mea in manu mea semper, et legis tuæ non sum oblitus. Posuerunt impii laqueum mihi, et a præceptis tuis non aberravi. Hæreditas mea testimonia tua in sempiternum ; quia gaudium cordis mei sunt. Inclinavi cor meum, ut facerem justificationes tuas, propter æternam retributionem. Tumultuosos odivi, et legem tuam dilexi. Protectio mea et scutum meum tu es : verbum tuum expectavi. Recedite a me maligni, et custodiam mandata Dei mei⁴. *Et post septem versus* : Quasi scoriam computasti omnes impios terræ : propterea dilexi testimonia tua. Horripilavit a timore tuo caro mea, et judicia tua timui. Feci iudicium et justitiam, ne derelinquas

¹ Psal. cxviii, 77-87. — ² Ibid. 92-97. — ³ Ibid. 101-105. — ⁴ Ibid. 109-115.

me iis, qui calumniantur me¹. *Et post paucos versus* : Propterea dilexi mandata tua super aurum et topazium. Propterea in universa præcepta tua direxi ; omnem semitam mendacii odio habui. Mirabilia testimonia tua, idcirco custodivit ea anima mea². *Et post duos versus* : Os meum aperui, et respiravi ; quia mandata tua desiderabam. *Et alio loco* : Consumpsit me zelus meus, quia oblitus sunt verborum tuorum hostes mei. Probatus sermo tuus nimis, et servus tuus dilexit illum. Parvulus ego sum et contemptibilis : sed præcepta tua non sum oblitus. *Et post tres versus* : Mandata tua voluntas mea³. *Et paulo post* : Vide afflictionem meam, et eripe me ; quia legis tuæ non sum oblitus. *Et post sex versus* : Multi qui persequuntur me, et affligunt me ; a testimoniis tuis non declinavi. Vidi prævaricatores tuos, et mœrebam ; quia verbum tuum non custodierunt. Vide quoniam præcepta tua dilexi, Domine ; juxta misericordiam tuam vivifica me⁴. *Et post quatuor versus* : Gaudens ego sum in eloquio tuo, sicut qui invenit spolia multa. Mendacium odio habui, et detestatus sum : legem autem tuam dilexi. Septies in die laudavi te, super judiciis justitiæ tuæ. Pax multa diligentibus legem tuam, et non est illis scandalum. Expectabam salutare tuum, Domine, et mandata tua feci. Custodivit anima mea testimonia tua, et dilexit ea nimis. Custodivi præcepta tua et testimonia tua ; quia omnes viæ meæ in conspectu tuo⁵. *Et post octo versus* : Sit manus tua auxiliatrix mea ; quia præcepta tua elegi. Desideravi salutare tuum, Domine, et lex tua voluntas mea est⁶. *Et post duos versus* : Erravi quasi ovis perdita ; quære servum tuum, quia mandatorum tuorum non sum oblitus⁷.

¹ Psal. cxviii, 119-121. — ² Ibid. 127-129. — ³ Ibid. 131-143. — ⁴ Ibid. 143-159. — ⁵ Ibid. 162-168. — ⁶ Ibid. 173, 174. — ⁷ Ibid. 176.

In Psalmo cxxix. Ego pacifica loquebar, et illi debellabant ea¹.

In Psalmo cxxxi. Rogate pacem Jerusalem: sit bene iis qui diligunt eam. *Et post duos versus:* Propter fratres meos et proximos meos loquebar pacem tibi. Propter domum Domini Dei nostri, quærebam bona tibi².

In Psalmo cxxii. Ad te levavi oculos meos, qui habitas in cœlis. Ecce sicut oculi servorum ad manus dominorum suorum. Sicut oculi ancillæ ad manum dominæ suæ: sic oculi nostri ad Dominum Deum nostrum, donec misereatur nostri³.

In Psalmo cxxiv. Qui confidunt in Domino quasi mons Sion, immobilis in æternum inhabitabilis Jerusalem⁴.

In Psalmo cxxvii. Beatus omnis qui timet Dominum, qui ambulat in viis ejus⁵.

In Psalmo cxxix. Sustinui Dominum, sustinuit anima mea, et verbum ejus expectavi⁶.

In Psalmo cxxx. Domine, non est exaltatum cor meum, neque elati sunt oculi mei; et non ambulavi in magnis et in mirabilibus super me. Si non proposui, et silere feci animam meam: sicut ablactatus ad matrem suam, ita ablactata ad me anima mea. Expecta Israël Dominum, a modo et usque in æternum⁷.

In Psalmo cxxxii. Ecce quam bonum est et quam decorum, habitare fratres in unum⁸.

In Psalmo cxxxiii. Ecce benedicite Domino omnes servi Domini: Qui statis in domo Domini, in atriis domus Dei nostri. In noctibus levate manus vestras ad sanctum, et benedicite Domino⁹.

In Psalmo cxxxiv. Laudate nomen Domini, laudate

¹ Psal. cxxix, 7. — ² Id. cxxi, 6, 8 et 9. — ³ Id. cxxii, 1, 2. — ⁴ Id. cxxiv, 1. — ⁵ Id. cxxvii, 1. — ⁶ Id. cxxix, 4. — ⁷ Id. cxxx, 1-3. — ⁸ Id. cxxxii, 1. — ⁹ Id. cxxxiii, 1, 2.

servi Dominum. Qui statis in domo Domini, in atriis domus Dei nostri. Laudate Dominum, quoniam bonus Dominus, canite nomini ejus, quoniam decens¹. *Et post pauca:* Idola gentium argentum et aurum, opera manuum hominum. Os habent, et non loquentur; oculos habent et non videbunt, etc. *Et paulo post:* Similes illis fiant qui faciunt ea, et omnes qui confidunt in eis. Domus Israël benedicite Domino: domus Aaron benedicite Domino: timentes Dominum benedicite Domino².

In Psalmo cxxxv. Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in æternum misericordia ejus. Confitemini Deo deorum, quoniam in æternum misericordia ejus. Confitemini Domino dominorum, quoniam in æternum misericordia ejus. *Et in fine Psalmi:* Confitemini Deo cœli, quoniam in æternum misericordia ejus³.

In Psalmo cxxxvi. Si oblitus fuero tui, Jerusalem, in oblivione sit dextera mea. Adhæreat lingua mea gutturi meo, si non recordatus fuero tui, Jerusalem. Si non præposuero Jerusalem in principio lætitiæ meæ⁴.

In Psalmo cxxxviii. Nonne odientes te, Domine, odivi, et contra adversarios tuos distabui? Perfecto odio oderam illos, inimici facti sunt mihi⁵.

In Psalmo cxxxix. Ne des, Domine, desideria impij; scelera ejus ne effundantur, et eleventur. *Et post quatuor versus:* Vir linguosus non dirigetur in terra⁶.

In Psalmo cxli. Corripiat me justus in misericordia, et arguat me: oleum amaritudinis non impinguet caput meum. *Et post quinque versus:* Quoniam ad te, Domine, oculi mei: in te speravi; ne evacues animam meam⁷.

¹ Psal. cxxxiv, 1-3. — ² Ibid. 15-20. — ³ Id. cxxxv, 1-3 et 26. — ⁴ Id. cxxxvi, 5, 6. — ⁵ Id. cxxxviii, 21, 22. — ⁶ Id. cxxxix, 9 et 12. — ⁷ Id. cxli, 5 et 8.

In Psalmo cxxli. Voce mea ad Dominum clamavi, voce mea ad Dominum deprecatus sum. Effundam in conspectu ejus eloquium meum, tribulationem meam coram illo annuntiabo. *Et post sex versus* : Clamavi ad te, Domine, dixi : Tu es spes mea, pars mea in terra viventium¹.

In Psalmo cxxlii. Meditabar omnia opera tua, facta manuum tuarum loquebar. Expandi manus meas ad te, anima mea quasi terra sitiens ad te. *Et post tres versus* : Fac me audire mane misericordiam tuam, quoniam in te confido. Notam fac mihi viam, in qua ambulo, quoniam ad te levavi animam meam. Libera me de inimicis, Domine : a te protectus sum².

In Psalmo cxxliii. Libera me, et erue me de manu filiorum alienorum : quorum os locutum est vanitatem, et dextera eorum, dextera mendacii. Ut sint filii nostri quasi plantatio crescens in adolescentia sua. Filiae nostrae quasi anguli ornati ad similitudinem templi. Promptuaria nostra plena, et supereffluentia ex hoc in illud. Pecora nostra in millibus, et innumerabilia in compitis nostris : Tauri nostri pingues. Non est interruptio, et non est egressus, et non est ululatus in plateis nostris. Beatus populus cujus talia sunt, beatus populus cujus Dominus Deus ejus³.

In Psalmo cxxliv. Exaltabo te, Domine, Deus meus rex, et benedicam nomini tuo in aeternum et ultra. In omni die benedicam tibi, et laudabo nomen tuum in sempiternum jugiter⁴. *Et post duos versus* : Generatio ad generationem laudabit opera tua, et fortitudines tuas annuntiabunt. Decorem gloriae magnitudinis tuae, et verba mirabilium tuorum loquar. Et fortitudinem horribilium tuorum loquentur, et magnitudines tuas narrabunt. Me-

¹ Psal. cxxli, 1, 2 et 6. — ² Id. cxxlii, 5, 6 et 8, 9. — ³ Id. cxxliii, 11-15. — ⁴ Id. cxxliv, 1, 2.

moriā multae bonitatis tuae loquentur, et justitias tuas laudabunt¹. *Et post tres versus* : Et sancti tui benedicunt tibi. Gloriam regni tui dicent, et fortitudines tuas loquentur. Ut ostendant filiis hominum fortitudines ejus, et gloriam decoris regni ejus². *Et paulo post* : Juxta est Dominus omnibus qui invocant eum in veritate. Placitum timentium se faciet, et clamorem eorum audiet, et salvabit eos. Custodit Dominus omnes diligentes se : et universos impios conteret. Laudem Domini loquetur os meum, et benedicet omnis caro nomini sancto ejus in aeternum et jugiter³.

In Psalmo cxxlv. Lauda anima mea Dominum : laudabo Dominum in vita mea, cantabo Deo meo quandiu sum. Nolite confidere in principibus, in filio hominis cui non est salus. *Et post duos versus* : Beatus cujus Deus Jacob auxiliator ejus, spes ejus in Domino Deo suo⁴.

In Psalmo cxxlvi. Laudate Dominum, quoniam bonus est : canticum Dei nostri, quoniam decorum est, pulchra laudatio⁵. *Et post paucos versus* : Suscipiens mansuetos Dominus : humilians impios usque ad terram. Canite Domino in confessione, canite Deo nostro⁶. *Et post quatuor versus* : Non est in fortitudine equi voluntas ejus, neque in tibiis viri placebitur ei. Placebitur Domino in iis qui timent eum, et expectant misericordiam ejus⁷.

In Psalmo cxxlviii. Reges terrae et omnes populi, principes et universi iudices terrae, juvenes et virgines, senes cum pueris laudent nomen Domini⁸.

In Psalmo cxxlix. Cantate Domino canticum novum, laus ejus in congregatione sanctorum. Laetetur Israël in factore suo, filii Sion exultent in rege suo. *Et post tres*

¹ Psal. cxxliv, 4-7. — ² Ibid. 11-12. — ³ Ibid. 19-21. — ⁴ Id. cxxlv, 2, 3 et 5. — ⁵ Id. cxxlvi, 1. — ⁶ Ibid. 6, 7. — ⁷ Ibid. 10, 11. — ⁸ Id. cxxlviii, 11, 12.